



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Parallelæ Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

§. 10. In Saxoniâ Superiore.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13167**

In Insula Rugia ad promontorium *Stubben-Kamer* in sylua *Stubbenitz* lacus profundissimus, qui licet piscibus scateat, numquam tamen aut retia, aut lntres tulisse dicitur. Immo cum superioribus annis in eum pescatores audaciores scaphā detulissent, postero die in lacu eam non viderunt, sed impositam proceræ fago. Ad quem aspectum cum eorum unus haec protulisset, *Quis omnium dæmonum lntrem imposuit arbori, audita vox: non id omnes fecere diaboli, sed solus ego cum fratre meo Nicolao. Philippus Cluverius lib. 3. Antiq. German.*

### §. 10. In Saxonia superiore.

In Hercynia Sylua (nunc Turingica ex parte dicitur) aues vi-  
funtur, quarum plumæ noctu lucent ignium instar. Gesnerus pu-  
tat esse Gracculos dictos Bohæmicos. *Plinius lib. 10. cap. 44.*

In eadem Sylua quam vocat congenitam mundo, ait constare attolli colles occursantium in se radicum repercuſſu: aut ubi telus fecuta non sit arcus ad ramos usque, & ipsos inter se rixantes curuari, portarum patentium modo, ut turmas equitum transmittant. *Idem lib. 16. cap. 18.*

Prope Annebergam fodina argenti, tam fœtens ut aliquando mephiri duodecim homines exanimarit. *Cæsius lib. 2. de Mineralib.*  
Allera fluvius Saxonie nigerrimas aquas emittit. *Idem.*

In Comitatu Mansfeldiae lacus est amplissimus, ex quo cruuntur lapides, tam bellè efformati, in ranas & pisces, ut à veris nequeant internosci. *Munsterus in sua Germania.*

In Marchionatu Brandenburgico iuxta Francofurtum ad Oderam, prope Cœnobium Carthusianorum riulus ex colle vitifero promanat; in eum quidquid cadit in lapidem conuerti compertum est. *Volfangus Iopſtus.*

### §. 11. In Vestphalia.

Ad mare Germanicum fons erat aquæ dulcis solus, quâ potâ intra biennium dentes decidebant. Id experti milites Germanici promotis castris trans Rhenum. Reperra huic morbo antidotum herba dicta Britannica. Putant aliqui in præsentia morbum fuisse le Scorbut. *Plinius lib. 25. cap. 5.*